

Caput I.

51

Gellius , multis esse infantibus nutritionem ex lacte , & consuetudine propriæ Matris , quam alterius extraneæ . Hinc Sara uberibus propriis Isaachum , Rebecca Esau , & Jacobum , Anna Samuelem , aliæque Mulieres sanctæ filios suos enutriverunt . De Scotis etiam veteribus dicitur , Nutrices lacteis infantibus non accersisse , sed suo proprio lacte ipsas Matres proles educasse . Unde Augustinus se cum Matris lacte Dei honorem , & venerationem hausisse fatebatur .

X. PER SPATIUM TRIGINTA ANNORUM) Puta usque ad annum circiter 1470. Papebrochius annotat . Sed ita scribit , suam sequens chronologiam , qua nimurum facit S. Patrem anno 1439. ortum . Sua nihilomibus peculiariis hæc opinio est , quam in Dissert. 2. examinabimus , & explodemus ; Interim communis ferè omnium Scriptorum est , ut Franciscus natus fuerit anno 1416. quibus si triginta illi anni addantur , fiet ut S. Patris Genitores , post ejus ortum , simul vixerint usque ad annum 1446. Hoc anno Vienna Mater mortua est , ipsi enim Jacobus fuit superstes ; qui proinde Ordini nuper à filio instituto nomen dedit , ejus se filium faciens , cuius ipse Pater erat .

XI. IN VOTO CASTITATIS) Non hæc accidisse intelligenda sunt statim postquam Franciscus natus fuit . Præmittuntur enim verbis istis alia verba , quibus indicatur potuisse etiam liberis gignendis post S. Francisci nativitatem operam dare . Et bona Mater eum tenerè enutrivit propriis mammillis &c. Post quæ subjungitur : Et ipsa cum Jacobo considerantes , quod parum eis proficeret so boles concipere , vixerunt simul &c. Unde tempore illo , quo Franciscus à bona Matre nutritus fuit , & quod dicitur ipsorum considerationem præcessisse , potuerunt Parentes ejus aliis filiis procreandis vacare . Eo vel ma-